

et signorum notarumque orationi scriptæ accidere possunt, aliquò recensam ordine, considerandum, Loquelam spectari per se solam, vel quatenus eam membrorum motus atque gestus comitantur. *Totius loquelæ*, cum sola spectatur, diversitas ex vocis modulatione dependet, quæ est vel unius vocabuli, vel integræ orationis. *Unius vocabuli* pronuntiatio fit cum debito accentu, vel emphaticè, vel sequente aliquâ morâ: quæ tria idcirco etiam scripturâ exprimi debent. *Accentus* nota, quamvis à quibusdam accuratioribus adhibeatur, à plerisque tamen negligitur, ac tum ambiguitas oritur, ut in *pendere & pendere, suffocat & suffocat, leporem & leporem*, quæ his verficulis distinguuntur,

Pendere vult justus, non vult pendere malignus.

Suffocat extinguit, suffocat guttura stringit.

In sylvis leporem, ast in verbis quære leporem.

Atque hoc quàm maximè locum habet in Linguâ Græcâ, siquidem accentus & Spiritus magnam in eâ faciunt vocum diversitatem, & discrimen, ut cuilibet, qui illam vel à limine salutavit, notissimum. *Emphasis* signum in scripturâ deficit, unde dubium, an vox aliqua prolata fuerit emphaticè, an verò fecus. Sic Pontificii & Lutherani voculam *est* in hâc sententiâ, *Panis est corpus Christi*, emphaticè efferunt, quasi in illâ aliquid lateat mysterii: Sic etiam alii elevant vocem in vocabulò *omnes*; *Deus vult omnes homines salvari*, ut decipiant imperitos, quasi omnes homines sint electi: ut habet Kekerm. System. Log. lib. 3. cap. 1. *Morula* denique, quæ pronuntiationem vocis alicujus, in oratione nondum finitâ, subsequitur, quâque illam ad præcedentem pertinere denotatur, à paucis exprimitur, & quidem notâ commatis, à plerisque tamen negligitur, & in ancipiti relinquitur, num ad præcedentia, an sequentia referri debeat. Exemplum sit illud Ciceronis, lib. 2. de Offic. *Summâ quidem auctoritate philosophi, severe sanè atque honestè, hæc tria genera confusa, cogitatione distinguunt.* Ubi si post *confusa* comma non interferatur, ambiguum est, utri, *genera* scilicet an *cogitatione*, vox ista sit conjungenda. In hâc unius vocabuli Ambiguitatum ex scripturæ defectu ortarum classe etiam reponi debet ea, quæ in Hebræâ Linguâ occurrit ex eò, quòd olim punctis vocalibus, quæ hodiè characteribus adscribuntur, destituebatur Veterum Judæorum Scriptio. *Valdè enim eos ratio fugit, qui arbitrantur, Mosè istis Pentateuchis exarasse; vel Esdras saltem, & viros magnæ Synagogæ iis usos fuisse.* Quippe apices isti demum inventi fuere à Judæorum criticis Masoretis, & quidem circa annum Christi quingentesimum; ut habet Clariff. Vossius lib. 1. de Art. Grammat. cap. 31. Quòd itaque antiqui iis non uterentur, causa est, ob quam vox, quæ cum pronuntiabatur ambigua non erat, vitium id contraxerit, cum scribebatur. Prout enim vocabulò, solis
conso-